

finitimorum, et pro praesenti urgente necessitate postulantes non concluderent, potissimum vero, quum propugnaculum aut pars una Castri Kapronczensis omnino demolita et dirupta esse dicitur.

Nichilominus ad exhortationem Magnifici domini Lucae Zekell, generalis Capitanei suae Sacrae Caesareae Majestatis, ijdem Status et Ordines laboratores et robora cum virgultis, in proxime praeterito Conuentu ipsorum ad munitionem Oppidi Kaproncza, et similiter Ivanych et Hrasthowicza deputatos, qui eos usque in praesentem terminum non administrauerunt, per omnia oportuna remedia ac solita Birsagia, usque decimum quintum diem administrandos esse decreuerunt. Et qui in Comitatu Varasdinensi ex processibus Cristophori Palffj et Georgii Madaraz Judlium eiusdem Comitatus Varasdiensis ad fortificationem dicti Oppidi Kaproncza robora non praestiterunt, tales omnes vsque ad decimum quintum diem a data praesentium iuxta proxime praeteritae dietae conclusionem, robora longitudinis non duodecum sed quatuordecim cubitorum ad restorationem dicti Castri Kaproncze, vna cum laboratoribus praestare commissis, administrare debeant. Quia autem nonnulli ex dictis Statibus et Ordinibus forent, qui robora ad munitionem Ciuitatum et fortalitiorum suaee Sacrae Maiestatis necessaria in eorum Syluis succidi prohiberent et non admitterent:

Iudem Status et Ordines juxta Conclusiones et Conuentus Posonienses Anni Millesimi Quingentesimi Sexagesimi tercij, tempore videlicet felicissimae Coronationis suaee Sacrae Maiestatis, conclusos, nunc quoque decernunt, ut huiusmodi robora, non tantum ex nnius vel alterius, sed in cunctorum dominorum Magnatum et Nobilium Syluis circumvicinis, ad fortificationem et munitionem dictarum Ciuitatum et Castrorum necessariam, succidere possint atque valeant.

Iudem Status et Ordines fideles suaee Sacrae Maiestatis subditissimi intellexerunt, quemdam insignem et satis expertum Militarem virum Thomam Klarych dictum, per Spectabilem et Magnificum Dominum Comitem Franciscum Zlwny Banum, ad Mandatum suaee Sacrae Maiestatis, pro nonnullis delictis et excessibus in partibus maritimis, ut dicitur, esse captivatum. Quum autem dictus Thomas Klarych, in Confiniis suaee Sacrae Maiestatis, in Castro et Ciuitate finitima Hrazthowycza commorans, inter ceteros milites non sit, quam infimae Conditionis, ac quasi primus inter illos milites esse reputatur, ijdem Status et Ordines supplicant suaee Sacrae Maiestati, domino eorum Clementissimo, dignetur ex sua pietate paterna et Regali Munificentia, qua erga suos fideles se extendere dignata est, prefatum Thomam Klarych, apud prefatum dominum Banum captum, gratiose eliberatum reddere, ut et ipse miserimae huic patriae inter caeteros milites suaee Sacrae Caesareae Maiestati fidelia sua Seruitia prestare valeat.

Quum autem domini et Nobiles, Statusque et Ordines praescripti, non sine maxima animi grauitate et dolore Sacrae Caesareae et Regietati humillime conqueruntur, Qualiter Tricesimatores suaee Sacrae Maiestatis in hoc Regno Sclauoniae Constituti, contra apertissimas libertates dictorum Statuum et Ordinum, de rebus ad domos et familiam propriam illorum, gratia quotidiana necessitatibus, in nundinis et foris emptis vel venditis, insolitas et prius inauditas Tricesimas extorquere non cessant: Status et Ordines praescripti Sacrae Caesareae et Regietati, domino illorum clementissimo, suplicant humillime, dignetur sua Sacra Majestas, habita ratione libertatis fidelium suorum, huiusmodi insolitas Exactiones Tricesimarum abrogatas committere gratiose.